

*EPITHALAMIV M  
IN HONOREM  
NUPTIALEM MAGNIFICI DOMI-  
NI CASPARIS BOEKES de Korniat, S. R. M. su-  
præmi Cubicularij, eiusq; Spōse Generofissimæ,  
Annæ, Egregij Domini Vvolfgangi de  
Harinna filiæ. scriptum*

*A*

*Christiano Schesæo Mediensi.*

*Anno Domini.*

*M. D. LXVII.  
pridie Cal: Decembr:*

*ALBÆ FULIAE  
ex Regii Typographi officina Typographica  
Raphaelis Hoffalteri.*



*Ad Magnificum dominum Alexandrum Ken-  
dinum olim condiscipulum et  
commensalem.*

**S**i memor est veteris, Kendi generose, sodalis  
(Virtute, ingenio, nobilitate nitens)  
Qui tecum studijs est innutritus ijsdem,  
Est vbi Sarmaticis Bartpha propinqua plagis.  
Quæ peto perficies (vt credo) negotia promptò  
Pectore, cùm factu sint leuiora tibi.  
Scilicet eximia sponso virtute corusco,  
Exhibeas venæ pauperioris opus.  
Illud & inuulges præcelsa Regis in aula,  
Quo mihi magnifici concilietur amor.  
Cumq; ego sim vates deuota & mente Sacerdos,  
Te reddam charum supplice voce D E O.

ERDELYI MUSEUM  
KÖNYVTÁRA

*C. S. M. tua-  
mantissimus.*

E G R E G I O V I R O, N O B I L I -  
tate generis, virtute et sapientia præstanti Do.  
Wolffgango de Harinna Musarum patrono  
dignissimo  
S. P. D.



V M A R T I V M I N G E N V -  
arum (Vir præstantiss.) præcipuus finis  
sit, ac esse debeat, vt Deus agnoscatur  
& honore afficiatur. Póeticam impri-  
mis tam ad Deorum immortaliū lau-  
des, quam ad Heroum virtutem celebrandam veteres  
inuentam, magnoq; studio ac fauore Mœcenatum cō-  
seruatam rectissimè indicauerunt. Etsi verò nonnul-  
li de hoc studio iniquius censem, quibus optima quæq;  
calumniando inclarescere voluptati est, quasi hæc e-  
xercitia tantum ad inanem ostentationem, aut tempo-  
ris fallendi gratia excogitata sint, ideoq; in nullo pre-  
cio reponunt: tamen boni viri qui à Deo virtuti præ-  
mia constituta esse sciunt, ipsamq; virtutē sibi ipsi pul-  
cerrimā mercedem esse didicerunt, minimè liuidorū  
calūnias & reprehensiones morātur, sed magna cū vo-  
luptate operosa hęc, nō minus suavia studia exerceat &  
colat. Estò, hac prælestim tēpestate paucis ad magnas

A ij

op̄es

Opes aut digitiates nec paterantur, tamen plurimastu-  
is cultoribus vtilitates vel priuatim pariunt. Forma-  
tur & acuitur ingenium, dum officiosas, ut ita dicā nn-  
gas, verisimilibus rationibus pulcerrimis eloquentiæ  
flosculis animis lectorum inculcare conantur. Præci-  
pitantia & incuria velut fræno cohibetur, dum singula-  
ri delectu vocabulorum in tanto cumulo Synonimo-  
rum eruta, non nisi ad libram examinata carmini in-  
seruntur. Eruditio alitur et augetur dum vel ad vnius  
Epigrammatis scriptionem interdum totus aliquis li-  
ber historicus euoluendus est, aut in epitheto rectè at-  
tribuendo ex Phisicis scriptoribus rei natura exactius  
inuestigatur. Nec ylla est oratio neruositior, vel argu-  
ta & docta breuitate concinnior, qua & alij citius quæ  
præceperis accipiunt, tuq; ipsos facilius doceas. Taceo  
quantum splendorem, copiam, sublimitatem, maiesta-  
teniq; teste Quintiliano, solutæ orationi adferat. Hoc  
profecto silentio præteriri non potest, quod ut aliæ li-  
beralioris culturæ artes, ad humanitatem inulta & a-  
spera ingenia flectunt: Ita maximè mirificæ habet vim  
hoc exercitum, ut non proorsus Cyclopica & monstro-  
sa ingenia, si modò culturæ patientem præbeat aurem,  
perpoliat, ac cera molliora flexibilioraq; reddat.

Denique nullum est genus scriptorum, quod  
tantam vim habeat ad concitandos affectus, siue  
ad in-

opæ aut digitiates iter patefaciat,  
tamen placuerit su

ad inflammados animos ad virtutis amorem, illae  
ad detestandam fœdam vitiorum colluiciem com-  
paratum fuerit: veluti quadam diuina efficacia quo  
velit lectorem prouum rapiat & impellat. Sicut  
non obscurè id vetustas significare voluit sub Am-  
phionis & Orphei figmento, quos feras & faxa lyræ  
cantu mouisse confinxit. Extat Plutarchi liber de audi-  
enda Poetica, Extat & D. Basilij, omnium scriptorum  
eloquentissimi, splendidissima admonitio, quomodo ex  
Græcis authoribus capienda est utilitas. Vbi vterque Po-  
eticam ad veræ Philosophiæ studium absoluendum,  
imprimis multum conducere affirmat. Nec Paulum il-  
lumi ter maximum ab hoc studio abhoruisse docu-  
mentum est, quod tres (ni fallor) versus ex Pöëtis in suis  
scriptis citat, suoque instituto aptè accommodat. Libet hic cō-  
memorare, cum ad rē faciat, historiā quam saepius à  
Clariss. viro D. Philippo Melanthone, bonę memorię,  
audiuimus. Referebat Maximilianum Imperatorem  
aum Caroli & Ferdinandi in maximis adeò habui-  
se delitijs, Pöëtas, ut interdum ad priuatum colloquiū  
familiarius admiserit, nonnunquam & mensæ adhibuerit  
conuiuas. Id cum indignius nonnulli ex Magnatibus  
aulicis ferrent, ac hoc genus hominum sibi preferri do-  
lerent, eosque inuidia perpulit liuidos, ut palam obiec-  
tare Cæsari illud sint ausi. Ad quos Cæsar: ytrum puta

tis donumne Dei, vel donum hominū in ioris facientur.  
dū? Responderunt Domini Dei præferendum esse. At  
inquit Cæsar id ego facio. Ego enim vos nobilitauī, o-  
pibus ornaui, & pro libitu torquatos purpuratosq; cre-  
are possum. Sed Pōetæ sunt quos Deus peculiari numi-  
ne suo afflauit, & à reliqua fœcē hominum vulgaris mo-  
netæ, longè lataeque discreuit. Ideoq; merito honore illos  
deueneror: verū de his satis.

Nunc ut ad rem veniam, Scripsi hoc carmen nupti-  
ale, motus communī omnium fauore studioq; feruen-  
tissimo, tam Principis nostri clementissimi, quam totius  
nobilitatis, regnicolarumq; quos certētim his pijs il-  
lustribusq; coniugibus singulari apparatu & munerū  
magnificentia applaudere video, insignemq; lātitiam  
testari. Horum itaq; exemplum secutus qua potui do-  
te placere volui. Adhæc volui hac honesta occupa-  
tione, studij mei rationem reddere, ne apud bonos, co-  
lumniatoribus locus sit, qui meq; conditionis homines,  
nullo honesto labore, præterq; potationibus, alea, cir-  
cumuectionibus, adeoq; sordida cura parandarum o-  
pum deditos tragicē vociferātur, cùm nullum tempus  
honestē & vtiliter exactum putent, quod non Sophis-  
matum præstigijs quibus veritas labefactatur manci-  
patum fuerit: vt vel ex me prolethario, aliorum eru-  
ditione & zelo pietatis præstantium virorum diligen-  
tiam

tiām, in grauioribus vtilioribusq; studijs, metiantur.

Postremo, cūm Deo fauente, barbarie pulsa, in patria nostra nitiora humanitatis studia florere inceperint, Ipsaq; imprimis florida iuuentus certatim huic studio incūmbere gestiat, ne à pio, cursu deflectat, meo exemplo (siquid ponderis ad persuadendum habet, inuitare volui, cūm plurimorum insano iudicio hæc honesta exercitia, calumniari, damnari, cane peius & angue odio haberí, velut nugarum officinam, compertū habeam.

Tibi verò, V volfgange vir præstantissime, cūm ppter alias igenij & fortunæ dotes, tūm maximè quod talem adeptus es generum, qui olim res patriæ infelicitatis labantes velut Atlas humieris cœlum subleuaturus sit, congratulari volui, idq; huius carminis dedicatio-  
ne testari. Nec dubito quin pro singulari pietate tua  
humanitateq; hoc licet rude & impolitum carmen be-  
neuolo animo amplexurus sis. Quod ut facias, te virū  
integerimum, Musarumq; portum optatissimum, na-  
xim opere peto, atq; impensiūs obsecro. Vale in  
Domino Iesu felicis imē in multos annos.



Christianus Schesæus Medi-  
ensis V. E. D. studiosissimus.

**E P I T H A L A M I U M**  
*continens Antithesin ærumnarum et commodo-  
rum vitæ coniugalis.*

**A**N mea continuis Musa exercebitur armis

Difficili referens Hunnica gesta pede?

Qualiter infelix & lamentabile regnum

Eruerint Teucri viq; doloq; feri.

Quis status hic rerum nouus? hæc mutatio qualis

Versa quod in pacem bella cruenta silent?

Cernis ut aurato cum Principe vulgus amictu

Et regni proceres gaudia festa probent.

Pro galeis virides ornant capita alta coronæ,

Grata puellari dona parata manu.

Est celer obductus scabra rubigine mucro,

Longaq; deformi torpuit hasta situ.

Plaudentes ducunt plectro resonante choræas

Quos hostis timuit degener ante, Duces.

Nimirum insigni virtute fideq; coruscans

**C A S P A R B Ö K E S I V** s festa Hymenæa parat.

Moribus ingenuis, & pulcræ munere formæ

AN N q; præstantis, sponsus amore flagrans.

AN N q; cui Superi tribuerint dona benigni,

Cunctorum facile ut vincere vota queat.

Ergo

Ergo plaudentum studium commune lecutus,  
Qua possum cœptis parte fauebo pijs.

Coniugij dicam ær umnas, variosq; labores,

Atq; cruces, quot vix ampla carina vehat.

Pōst vera adijciam genialis commoda lecti,

In quo concordes fœmina virq; cubant.

Tu modò crescenti faueas pīx sponsæ Camæng;

Et grato oblatum pectore munus ama.

Forsitan in curis solabere pectus acerbis,

Hæc mea si quando verba notata leges.

Mota tuo exemplo leget hæc studiosa iuuentus

Frenaq; coniugij discet amare pij.

Postquam succubuit fallacis fraude Draconis,

Hanc pœnam infligi senserat, Eua, sibi:

Quando rudem tumido gestabis viscere fætum,

Assiduè duro pondere pressa gemes.

Cumq; propinqua aderunt edendi tempora partus,

Tristius & longè maius habebis onus.

Nec pia pro charis aberit custodia natis

Donec vitalis spiritus ossa regit.

Inde tot ær umnæ, morborumq; agmina serpunt,

Quæ velut obscura, gaudia, nube tegunt.

Ergo ubi concepit fert coniunx pondera ventre

Paruaq; post sentit gaudia, mille cruces.

B

Infestat

**I**nfestat grauidam pituita, grauedo, catharrus,

Turgidus assiduo tornina venter habet.

**E**x Kitta varia hinc consurgit ore xis edendi,

Nunchas nunc illas flagrat habere dapes.

**Q**uóue grauis partus vicinior imminet hora,

Obruit immodicus viscera fæta dolor.

**L**anguida sepe carens in nixu viribus vxor,

Deficit & gemino funere ditat humuni.

**E**sto, sit in lucem felici sydere natus

Et recte valeat cum genitrice puer.

**I**ngens curarum fluctus tamen obruit ægram,

Qua satis exacte nutriat arte rudem.

**P**lorantem charis auidè complectitur vlnis,

Laetis & innato guttura fonte rigat.

**C**ollocat in cunas loro breuiore reuinctum,

Semper ei custos duxq; fidelis adest.

**F**æta velut catulos informes vrsa xreformat,

Lux quibus & vitæ non vigor ullus sine est:

**S**edula sic nutritæ puerorum membra figurat,

Si qua minus reliquis artubus apta videt.

**R**epere dum quadrupes in puluere discit, & xgre

Incipit exiguum tollere corpus humo.

**N**e cadat imprudens, vel frangat colla veretur,

Aut interdictis immoriatur aquis.

**Q**uando puer gressu iam debiliore leuatus

Conatur

Conatur balbo rectius ore loqui.

Naturæ vitium non firma quod hactenus ætas  
Occuluit, notum senior hora facit.

Traditur ingenij formandus voce magistri,  
Imbibat ut mores cum pietate bonos.

Ingenuasq; artes, vitæ fulcimina, discat,  
Vnde graues census vnde paratur honos.

Hic quantas duro capit à monitore rebellis

Iurgia contemnens & pia iussa, plagas?

Natorum improbitas carnificina parentum,  
Militia hoc grauior nulla labore manet.

Post vbi pubertatem animæ est discrimen adeptus,  
Luxuriat scelerum maior vbiq; seges.

Illicitus feruor, turgentq; superbia fastu,  
Rixæ, odium impatiens omnis & ira iugi.

Luxus & ebrietas, populatrixq; alea rerum,  
Desidia inuentrix atq; ministra mali.

His plerumq; malis ætas impenitus abundat,  
Vtilium legum nescia frena pati.

Hoc pelagus postq; euafit, vastamq; Carybdim,  
Durior hac ætas ecce virilis adestr.

Expetitur vitæ socia, adiutrixq; laborum,  
Atq; parandarum cura fidelis opum.

Anxia cura virum nimiumq; molesta remordet,  
Quo studio immensas arteq; cogat opes.

B ij

Per

Per mare pauperiem vitat per faxa per ignes

Nauigat, arma gerit, vomere findit agros.

Eruit ex imo vi multa viscere terræ,

Aurum radicem materiemq; mali.

Omne nefas audet, furor immoderatus habendi

Quem nimium in præceps cura q; ventris agit.

Vltima succedit letho vicina senectus

Aetnæi grævius pondere montis onus.

Cuncta recrudescunt primis tolerata sub annis

Damna, sene ex curuo denuò fitq; puer.

Caligant oculi, tremit os, obliuio mentem

Occupat, haud vires debile corpus habet.

Et seipsum & reliquos odit morosa senectus,

Viuereq; est senibus maxima pœna diu.

Vexantur tussi, ducunt suspiria anhelo

Ore, vomunt crebrò pesq; manusq; tremunt.

Vita quid est hominum gelidæ nisi mortis imago

Ros leuis, vmbra fugax, Bullaq; fexq; putris?

Hæc inq; miseris incommoda multa maritos

Vrgent præcipue, continuoq; premunt.

Non tam difficiles animalia cætera partus

Totq; graues curas sustinuisse vides.

Exiguo fætos excludit tempore pullos

Aera quæ pennapræpete findit avis.

Deuolat è fixo super alta cacumina nido,

Atq;

Atq; recens victum nata columba legit.  
Non longo catulos aluerunt tempore Tygres  
Vrsaq;, vel fuluis nota Leæna vibis.  
Solùm homines, (natum quò grandior extitit ætas)  
Curæ maiores anxietasq; premunt.  
Hinc vulgò voces natæ: mare, scemina, & ignis,  
Hæc tria, sunt inter pessima quæq; caput.  
Atra viro muiler tempestas, magna Tyrannus,  
Vitari & nulla quod queat arte malum.  
Inde fit vt tædæ cane peius & angue iugales  
Spretæ, non premium, nec meruerē decus.  
Sunt, quibus obscuro placuit latuisse recessu,  
Ocia sectantes & sine lite dies.  
Turpiter assumptam vel deseruisse maritam  
Aut oneri prorsus succubuisse graui.

*Congeries commodorum vitæ coniugalis.*

AT Q V I B V S est sanq; melior sententia mentis,  
Non parui faciunt coniugiale bonum.  
Vulnera non repetit, sed maxima prænìa miles,  
Non tempestates nauita, spectat opes.  
Nec segetes grando depascens vertit Agrestes  
Proposito, minus vt frugibus arua serant.  
Sic aduersa pios non frangunt damna maritos,  
Sic magè coniugij commoda multa novent;

I. A B H O N E S T O.

*Coniugium est ordinatio Dei.*

Non homines pecudum voluit rituque ferarum

Errare incerto Cypridos igne, Deus.

Certo anni repetunt errantes tempore motus,

Nec thalami certo s̄ædere iura colint.

Fida virum coniux non tempore deserit vlo,

Est socia, & vitæ dulcis vbiq̄ comes.

Nam Deus arcano decretum pectore versans,

Cum nato, & sancto Flamine iunctus ait:

Non reor esse bonum steriles consumat vt annos,

Optato & careat, compare solus homo.

Ergo adiutricem vitæ, sociamque laborum,

Quæ non dissimilis sit ( faciamus ) Adæ.

Hæc vbi dicta, leues fontis prostratus ad vndas

Sub viridi somnum fronde trahebat Adam.

Protinus admota referat latera ardua dextra

Vnamq; ex costis eruit inde, Deus.

Ex qua cunctorum matrem formauerat Euam;

Naturæ eximium nobilioris opus.

Primus & aduxit Spensam paronymphus Adamo;

Talibus exorsus verba diserta modis:

Crescite legitimi per mutua gaudia nexus;

Vestraq; posteritas impleat aucta solum.

*Etis*

Estis, pars operum melior in aiorque meorum

Quantum vos ad amorem dicere non potest.

Quin etiam ad nutus animalia cætera vestros,

Seruitium iubeo triste iugumque pati.

Quis genus hoc vitæ Diuina voce probatum

Insano, demens, rodere dente velit?

**II. AB UTILI: PER CONIVGI-**  
**um conseruatur humana societas et Deo**  
**colligitur Ecclesia.**

Conditor in cassum mundi hoc insigne theatrum

Formasset, si non incolat illud homo:

Qui preclara Dei rimetur facta, pijsq;

Laudibus authorem gratus ad astra vechat:

Ac post exacte tristissima tædia vitæ,

Ante deum æternæ tempora lucis agat.

Notitia ergo Dei latum quod vera per orbem

Mortales pietas inter & æqua vige:

Coniugibus merito debetur in omne benignis,

Horum ope vita hominum perpetuata manet.

Nam velut accenso lumen de lummine flammarum

Accipit, inq; alias prorogat usque faces:

Sic natis vitam tribuunt generando parentes.

Ne solum pereat prorsus in orbe genus

Sæpe vides puerum teneris succrescere cunis

Aeuo

AEuō qui sceptrum viuidiore regit.  
Aspicis hinc etiam doctum se tollere yatem  
Qui vitijs animos exuat arte rudes.  
Hinc quoq; ruricolæ, milesq; animosior ortum  
Atq; homines vniunt quotquot in orbe, trahunt.  
Nec non indigetes quorum inclyta corpora cœlo  
Inuexit virtus ardua, & æqua fides.

### III. A Iucundo.

NON est in toto iucundior orbe voluptas,  
Ilo, quo sponsæ sponsus amore flagrat.  
Cùm pulcra carum ditarit prole maritum,  
Fæta velut vitæ fructibus tua beat.  
Circum quadratas posuisse sedilia mensas  
Atq; auido videoas carpere dente dapes.  
Interdum audaci committere prælia pugno,  
Proq; leui illato verbere triste queri.  
Nunc Pater infantem genitricis ab ubere sumptum  
In tepido cupidè gestit habere sinu.  
Oscula purpurei infigit dulcia malis,  
Oscula synceræ pignus amicitiae.  
Cùm rident nati videoas ridere parentes  
Si flent, hos lachrimas eliciuisse iuuat.  
Andromachen natumq; ferox stans Hector in armis  
Aspicit, & roscis imprimit ora genis.

Age Glaus

9 8

Agesilaus Sparte Dux p̄eclarissimus vrbis,  
Cuni pueris facto ludere gestit equo.  
Quām blanda pueros saluator voce vocando  
Ad se veliuolis cursibus ire iubet?  
His, ait, astrigeri patet ardua ianua cœli  
Me duce, non Stygij Ditas ad antra ruent.  
Assuetus tremulis chartas gestare lacertis  
Ingrediens duræ docta lycæa scholæ.  
Cūm redit, & recitat fidi documenta magistri  
Filiolus, recreat pectora mœsta patris.  
Exercet patrias æuo maturior artes  
Totius curam sustinet ipse domus.  
Dat longa fessis ætate parentibus escas  
Et quacumq; potest parte iuuare iuuat.

### III. CONIUGIUM EST

#### *Schola multarum virtutum.*

Vita maritalis virtuti porrigit ansam,  
Et vitijs metam, constituitq; modum.  
Si videt affligi sobolem cum matre maritus  
Morbis, diffcili pauperieq; premi:  
Deuotas tollit suplex ad sydera palmas  
Cerebraq; pro amborum vota salute facit.  
Optimus orandi sors est aduersa magister,  
Gaudia securis luxuriosa nocent.

C

Amplas

Amplas placato decantat minime grates,  
Sperare in simili sorte paratus opem.  
Erecto incedens ventosa superbia collo  
Coniugij duro pondere pressa, iacet.  
Imperium doctus mores ferre maritæ,  
Dexterius perfert publica damna foris.  
Audax armatos pro coniuge fertur in hostes,  
Priuato cui vix visa machæra prius.

V. C O N I U G I U M

*est typus amoris inter Christum  
et Ecclesiam.*

Coniugium typus est, signumq; ardoris amoris,  
Quo flagrat erga homines Filius ipse Dei.  
Diligimus veluti natos, sociamq; iugalem,  
Plusq; magnificas totius orbis opes:  
Ipsorum ærumnas, aduersaq; damna putamus  
Nos premere, ac nostris incubuisse humeris:  
Illataq; ipsis vim, vi depellere prompti  
Si vel atrox certò mors adeunda foret:  
Sic homines simili complexus amore Redemptor,  
Induit humani corporis ossa lubens:  
In se deriuans alienæ incommoda culpæ  
Pro mundi vita mortis obiuit onus.  
Deniq; naturæ propter commertia nostræ

Defendit

Defendit Stygio semper ab hoste suos.

**VI. EST REMEDIUM  
contra vagas libidines.**

Errantes cohibet flamas, Paphiæq; furores  
Illicitos, certa cum ratione regit.

Quos propter claris viduatæ ciuib; vrbes  
Inq; leues cineres regna redacta iacent.

Attulit extemum Troiæ Venus improba fatum,  
Ob Venerem illicitam sanguine Leuætra madent.  
Prætero prudens Thebas, bimaremq; Corinthum,  
Musarum dulces Attica regna domos.

Cælitus immisso perit igne Gomorrah, putrefacti  
Sulphurea fumos edere fertur humo.

Agmina turritis latè fulgentia peplis  
Hungara propterea regna subacta premunt.

Hinc error mentis, morborumq; agmina mille,  
Hinc tragicci casus, mortisq; inopina venit.

Hisce malis siquidem Venus impolluta medetur  
Quis thalami digna, fœdera, laude canet?

Tales & multo plures attexere laudes  
Dum meditor, cœptum copia turbat opus.

Nam quò plura cano, mihi plura canenda supersunt,  
Commoda coniugij nobiliora pij.

Ergo opus in medijs abrumpere cursibus ingens

C ij

Cogor

Cogor, quantumvis longius ire velim.  
Hoc demum superest, summo ut pia vota Tonanti  
Casparis atq; Annę nomine, Musa ferat.  
Impleat amborum sacrato pectora Flatu  
Ut peragant placitos mutuo in amore dies.  
Ovos nobilium, decus, & duo lumina, cætus,  
Fama loquax quorum nomen ad astra vechit:  
Vicite felices: pro voto vestra piorum  
Cœpta salutari prosperitate fluant.

Finis.

## DE PROVIDENTIA DEI

erga genus humanum, et de curis huius  
vitæ in Deum ponendis, eiusdem  
autoris.

Quid frustra cruciaris anxium cor  
Fluxas propter opes fugacis huius  
Vitæ? fide Deo, potente dextra  
Qui terram, mare, qui polum creauit.  
Non te negliget aut repellet vñquam  
Est clemens Deus, est Pater benignus,  
Nouit quid tibi desit, & capillos  
Humani capitis iuetur omnes.  
Spem ponit locuples in ære multo,

In te

Inte spes mea conquiescit omnis,  
Fidens indubie, Deum timenti  
Non huius bona defutura vixe.  
**H**elia (rogo) te quis educavit?  
Clausus cum pluias negaret æther,  
Lætas iugera nec darent aristas,  
Iudeos fame adobruente terras.  
**A**longè tibi coruus appropinquans,  
Cœlestes epulas ministrat, vsq;  
Despectani viduæ casam Sareptæ  
Intras, quæ saturat farina egentem.  
**C**urabat Daniel & in profunda  
Spelunca rabidum Deus leonum,  
Illi fert Abacuc dapes, coactus  
Per turbæ aligeræ sacrum ministeriu.  
**E**t Pelusiakis Ioseph in oris  
Prudens, à Pharaone captus, acres  
Atro in carcere pertulit catenas  
Impurus velut & salax adulter.  
**A**st hunc eripuit Deus vicissim,  
Et lautis opibus beauit auctum  
Quo posset senio grauem parentem.  
Frumentoq; inopes iuuare fratres.  
Ec tres in Babylonio camino  
Neglexit pueros Deus, sed ipsos

Et flamma vehementioris æstus  
Saluos eripuit, bonis & auxit.  
Num te desereret Deus? priusquam  
Exires tumida parentis aluo,  
Qui dulces epulas præordinauit  
In matris geminis tibi papillis?  
Aer quas vehit arduis volucres,  
Pisces quiq; natant freto profundo,  
Ingentes hominum, boumq; cætus,  
Præbent turrigenūm cibos pallato.  
Sistema hoc nitidum capacis orbis,  
Est tanq; locuples penu refertum  
Donis innumeris, quibus creator  
Ditat, seruat, alit sibi fauentes.  
Si flores viridisq; gramen agri,  
Cultu splendidiore vestit auro,  
Quod nunc luxurians viret, resectū  
Paulo post rapidæ fit esca flammæ:  
Si pascit volucres citis secantes  
Plumis aera conditor, quibus nec  
Incurvo fodiuntur arua aratro,  
Turgent horrea messe nec repostæ.  
Humanum potius genus fouebit,  
Diuinæ cui pars inhæret auræ,  
Cognatumq; Deo est, & ad futuræ

12

Vitæ gaudia sempiterna factum.  
Est victus ratio tibi parandi  
Multo promptior, arua findis vncō  
Ferro, semina pinguisbusq; mandas  
Glebis, granaq; lecta condis antro.  
Prudenter decet idq; cogitare,  
Vt te souerit hactenus Creator,  
Per nienses aliquot, dies, & annos,  
Vsq; ad caniciem ferè supremam:  
Nunc cùm vix triduum tibi supersit,  
Et cras authodie neci propinquus  
Verseris, te etiam Deus souebit,  
Vt pistor bonis, & cocis fidelis.  
Ergo sepositis procul molestis  
Curis omnibus, vrgeat labores  
Crebro quisq; suæ vocationis:  
Euentum tribuens Deo laboris.

ut pistor bona, -  
et  
etiam coca fid. lib.

